



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Petr. Paul. Andreas, Dioysia MM. 15. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

SS. PETR. PAUL. ANDREAS, DIONYSIA MM. 15. Maii.

**I** Terum triumphantem adolescentiam damus, ne quis magnam virtutem annis metiatur. Imperante Decio, Lampfacci, in ipsâ turpitudinis patriâ, PETRUS adolescens adorare Venerem iustus; Ego illam, inquit, cuius vita perpetuum probrum fuit? quæ ex lupâ facta Dea est, neque aliâ gratiâ templis à vobis recepta est, quàm quòd omnium mortalium inuerecundissimè peccârit? Hujus dicti libertatem PETRUS in rotâ iustus luere, omnibus confractis ossibus nec vultum nec animum mutavit; donec gladio ejus patientia finita est. Troadem deinde properanti Proconsuli Nicomachus, audacior quàm fortior, suam in Christum fidem jactavit, sed sublimis abreptus tormenta non tulit, turpisque transfugâ, ejurato Christo, vix horulam supervixit, quâ in rabiem actus commantam dentibus linguam cum infelici animâ evomuit. Ejus casum miserata DIONYSIA, sedecim annos nata, illicò ad quæstionem, deinde ad lupanar abripitur: sed eam ANDREAS & PAULUS adolescentes Christiani, & utroque fortior cælestis genius multâ circumfusus luce, à virtutati sunt; illis postridie lapidum jactu obrutis, invidit DIONYSIA tam suavem



15. Maii. VITÆ SANCTORUM. 315  
vem sub hâc grandine mortem, inque  
mediam se procellam inferens, suosque  
amplexa servatores, popularis insanix  
reliquias exhaustit. Vixit tamen etiam  
cum detonuisset, & ultimum gladio spi-  
ritum impendit. Sed nimirum saxa &  
sanguinem loquimur: Beatuli nostri ire  
ad cælum viâ lacteâ, & calcare rosas vo-  
lunt. *Ex Surio.*

*Noli vitæ hujus felicitatem pravus ho-  
minibus invidere, sed condole. Imò quia  
ipsi non dolent, potius ingemisc: qui nimi-  
rum velut bruta animalia ad macellum e-  
dendo properant, & ad gladium lascivien-  
do festinant. S. Pet. Dam. lib. 8. ep. 6.*

S. DYMENA V. M. 15. Maii.

**N**isi frontem unâ cum oculis amisit  
improbis amor, erubescet ad infamiam  
facinoris, quod ipso auctore, sub  
annum sexcentimum gestum est. Re-  
gebat eo tempore Hibernos rex barba-  
rus, nullâ re nisi amore odioque filix no-  
bilis. Viduatus conjuge filiam in thorum  
pellexit, eâ quidem formâ, cui compa-  
rari eo ævo nulla poterat, sed iis mori-  
bus, ut non modò incestos amores abo-  
minaretur; sed præter Deum nubere om-  
nino nemini in animum induceret. Vim  
tamē verita ab infano amatore, cum Gere-  
berno sacerdote fugam ultra mare cape-  
sit, & in agro Antverpiensi sanctioribus  
se curis addidit. Pater eodem paulò post  
ap-